

prehabitis, prout iustitia suadebat, et precipue quia ex fideli assertione prudentum virorum, dominorum Christiani et Thiderici, procuratorum et canonicorum ecclesie Brandenburgensis, aperte cognovimus, processus et sententias, qui irritari et revocari petuntur, post appellationes legitimas a domino conservatore et subdelegatis ab eo probatas, et quod tam eisdem appellationibus quam etiam sententiis et processibus partes supradicte renunciaverunt, concorditer et expresse, prout in prefata compositione amicabili dinoscitur actum esse, sicut etiam ex inspectione compositionis eiusdem conscripte liquere clare poterit cuilibet intuenti, ideoque nos omnes processus et sententias et quicquid ex eis seu ob eos secutum extitit, auctoritate nobis in hac parte commissa, revocamus et irritamus et omnino tollimus et viribus vacuumus et virtute appellationum precedentium, de quibus predicatur, absolvimus ad cautelam, ita quod de cetero nemo per eos et occasione eorum impugnari possit vel debeat seu etiam molestari, decernentes revocationem et irritationem, evacuationem, et iam dictas vos debere et posse in locis singulis, quibus oportunum fuerit, facere solemniter publicari. In quorum omnium et singulorum testimonium presentes literas scribi fecimus et sigilli nostri appensione muniri.

Actum et datum anno domini MCCCXXVI in monasterio nostro in monte prope muros Magdeburgenses in die inventionis sancti Stephani protomartyris gloriosi.

Nach einer Copie im alten Copiarium im Archiv des Domcapitels zu Brandenburg gedruckt: Riedel Cod. dipl. Brand. I, 8, 230.

1328, September 14.

189.

Abt Bodo und der Convent des Klosters Berge bezeugen und bestätigen die Schenkung von 1½ Hufe Landes Erbzinsgut im Bahrendorfer Felde und eines Fischteiches bei Parchau an das Kloster seitens der Conventualen und Priester Theoderich von Zerbst und Johann von Barleben.

In nomine sancte et individue trinitatis. Bodo dei gracia abbas, Bruno prior totumque capitulum monasterii sancti Iohannis baptiste prope Magdeburg ordinis sancti Benedicti universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in presenti et perpetuum gaudium in futuro. Quoniam quidem omnium habere memoriam divinum est, non humanum, oportet ut, siquid dignum recordatione inter mortales agitur, scripturarum testimonio ac sigillorum munimine roboretur. Hinc est quod ad notitiam universorum, qui presens scriptum vel viderint vel didicerint, cupimus pervenire quod discretus vir Th[eodoricus] dictus de Cerwest, sacerdos et monachus nostri monasterii, ut religiosus et zelo dei ductus quibusdam rebus, quas auxiliante deo propriis laboribus contraxerat, mansum cum dimidio situs in campo Bardendorp comparavit nostro consensu accedente ac licentia speciali. Quorum scilicet